1158 itaque fronte militie Ludwicus,[1] frater domni imperatoris, palatinus comes de Reno, in primo iuventutis sue flore,[2] iuvenili decore et fortitudine preclarus, ex antiquorum successorum suorum dignitate Suevorum, armata militia Papiensium et Cremonensium, qui huius expeditionis fabricatores extiterant, sibi militia adhibita in campestria progreditur. Secundum locum Fridericus, filius regis Conradi, in annis iuvenilibus, dux de Rotenburk, cum forti militia possidet. Ad hunc exercitum augendum Ugo, marchio Montis Feltrati, qui matertram imperatoris matrimonio sibi iunctam habebat,[3] cum Veronensium, Brixiensium, Mantuanensium forti militia accedit. Tertium locum Wladizlaus, rex Boemie, cum suo exercitu, quem de tota militia sua in unum collecta collegerat, valde magno et forti sine Lombardorum additamenta possidet. Quarto loco Heinricus, dux Austrie, cum aliis principibus de Austria ponitur. Quinto loco ipse imperator Fridericus cum suo exercitu, cuius longitudinem et latitudinem comprehendere difficillimum erat, valde terribilis progreditur.[4] Sextus exercitus de Bavarorum militia et aliarum regionum Alamannie constructus procedit, cui rector princeps Otto palatinus comes cum suis fratribus[5] de Ratisbona preficitur. Septimus exercitus ex Teutonicorum et Lombardorum principum militia collectus

2) Quint. Decl. 9,9: primo iuventae flore fraudatus

1) So hat Vincenz auch unten V. 50 u. 52 für Konrad.

3) Wilhelm v. Montferrat war verwählt mit Judith, der Tochter Friedrichs I.

4) Das 5. u. 6. Heerhaufen bei Can. Prag. SS IX, 165 aufgeführt. Watt. weist dazu auf Widukind III, 44 u. Lambert 1075 hin, wo auch der König den 5. Platz hat.

5) Friedrich und Otto d. Jüngere, genannt bei Can. Prag. a. a. O., Rah. III, 39, V. 212.